taphysicas; uno verbo: Nil significantia. Inter sexcenta alia, ut pauca saltem exempli loco addam, se offert morbus ille *Diabolicæ Obsessioni* vulgò adscriptus, qui rectiùs tamen *est certa epilepsiæ species, ortum unicè habens vel ex aura quadam seu miasmate, fumis & effluviis virulentis atque malignis, aut ipso hypochondriaco-melancholicorum & maniacorum sero acido-acri*, nervos & musculos obsidentibus, omnesquè partes nerveas & musculosas ad stupendas sane convulsiones irritantibus, animam corpoream seu spiritus animales inquinantibus, ideas hominum depravantibus, mentemque immortalem nunc obscurantibus & suffocantibus, nunc â commercio corporis separando ad pristinam libertatem redigentibus. Morbi hujus generis convulsivi jam ultra lustri spatium, præter solitum, in remotis & nobis vicinis locis, e. g. in Illustrissima quadam Imperii status persona, ab Illustrissimi Comitis ab Erpach Archiatro & Physico Michaël-stadtensi curata; item in muliere quadam Nobili prope Budissam anno 1703.; Zittaviæ in puella quadam anno 1701. & 1702.; Annebergæ in Virgine melancholico-delira 1703.; Seyffertshaynæ in ancillis duabus rusticis 1705.; eodemque tempore in quibusdam Orphanis in Orphaniotrophio Lipsiensi; nec non in puella rustica in pago nobis vicino Creumau, Præfecturæ Delitiensi subjecto; & eodem anno in liberis quatuor sex, octo, decem & quatuordecim annorum in oppidulo Granaten sub arce Tharand, in tractu Dresdensi non obscuro, ab Experientissimo Medico Regio & Electorali, Dn. D. Zapffio, feliciter curatis, &c. adeò increbuerunt, ut hinc inde Animarum Pastoribus miselli hi, exorcismos ipsorum & in diabolum increpationes plane eludentes; quinimò paroxysmi tempore semi quasi cataleptico-ecstatici partim, partim semi delirantes, hinc variâ abditorum scientiâ præditi, Ministrorum ecclesiæ atq; parentũ conamina, visitationes futuras & instantes, imò momentaneũ illorum ê domo egressum, ante tempus indicarunt;

neque